D. O. M.

COLLEGIVM

GERMANICVM.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DD.

D. IOANNI MORONO EPISCOPO HOSTIENSI, ET
D. OTHONI TRVCHSES EPISCOPO PRAENESTINEN.
S. R. E. CARDINALIBVS AMPLISSIMIS, COLLEGII GERMANICI PROTECTORIBVS

VITVS MILETVS GAMVNDIANVS SVEVVS EIVSDEM COLLEGII ALVMNVS S. D.

DVO sunt, Cardinales amplissimi, in hoc maximo & elegantissimo naturæ imperio, quæ hominem à cupiditate mortalium rerum seuocare, & ad contemplandam diuinitatem traducere deberent; Mens, qua nihil homini datum est diuinius, & eximia quædam, ex ipsa rerum inter se connexione ac serie, profecta pulchritudo. Cuius cognitio adeptioque est illa quidem ardua & perdifficilis, dici tamen non potest, quanto in eam desiderio mens ipsa, ratioque feratur; ut mirandum non sit, summos homines affluentes otio, flagrantes studio, excellentes ingenio, ad eam assequendam omnes corporis animique neruos contendisse. Id ego cum sæpius mecum reputarem, & neminem ferè, qui se ijs artibus tradidisset, quibus ad immortalitatem uia paratur, spe sua falsum esse animaduerterem; tribus ab hinc annis, illi me studio dedidi, quod is finis, quem animo concepissem, proximè consequeretur: quo tandem aliquando confecto, nè ueterem Collegij Germanici consuetudinem prudenter institutam, & adhuc cum fructu laudis conseruatam, uel superbè contemnerem, uel negligenter omitterem, ex omni scientia naturæ, quæ latissimè patet, grauiores doctissimorum Philosophorum sententias coegi, quæ publica disputatione eruditorũ hominum iudiciis ponderandæ cõmitterentur. Vobis autem, Cardinales amplissimi, quorum præsidiis, auctoritate, & liberalitate collegium hoc Germanicum fultum sustinetur, cum omnium, qui in hoc pietatis & doctrinæ domicilio degunt, labores nuncupandi, tum Germanorum potissimum uigiliæ consecrandæ uidentur; quos ad sananda impietatis uulnera, quibus florentissima quondã, & optima, nunc uero miserrima & calamitosissima prouincia, improborum scelere, & audacia affecta est, bonarum artium cognitione, quasi uario medicamentorum genere, singulari humanitate & beneficentia uestra instruendos, exornandosque curauistis. Quod si pro uestris in nos & Germaniam uniuersam beneficiis non dicam referenda, sed nè cogitanda quidem gratia, pares in omni uita esse possumus, memoris, & grati animi significatione testamur, tatũ nos vobis debere, ut cũ omnes officij numeros expleuerimus, perexiguã uestrorũ meritorũ partẽ, nobis assecuti esse uideamur.

ASSERTIONES EX PRÆCIPVIS DIVINÆ NATVralisq; Philosophiæ disputationibus depromptæ.

EX DIVINA PHILOSOPHIA.

1 PHILOSOPHIA, quæ diuinarum humanarumq; rerum est cognitio, essentialiter in speculatiuam & practicam distribuitur. Speculatiua uero, in Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam; quæ distinctio non ab abstractione, sed ad obiecto formali desumenda est, quarum, quæ nobilitate, & certitudine pręstat, Metaphysica est, cu ius obiectum est Ens habens passiones, commune Deo & Creaturis.

2 ENs uniuersalissime sumptum, primò & immediate, diuiditur in Ens reale & rationis: Deinde, in ens per se & per accidens; & hæ diuisiones, æquiuocæ sunt. Est uero ens rationis illud, quod obiectiuum habet esse in intellectu, consecutum ad operationes ipsius, cuius tres sunt species, Relatio rationis, Negatio, & priuatio. Ens uero reale unũ cõceptum fundat analogum, unde optimè cõtradictoriũ habere põt.

3 ENs commune finito & infinito, substantiæ, & accidenti, non dicit conceptum confusum, sed distinctum, explicitum & obiectiuum, analogum; Finitum uero & infinitum, quamuis relationem ad inuicem habeant, respectus tamen infiniti ad finitum rationis est; finiti uero ad infinitum realis, ipsique finito essentialis.

4 CVm in rerum uniuersitate contingentia detur, Entis diuisio in contingens & necessarium, negari non debet; Si quippiam autem contingens est in naturalibus, (arbitrio libero dempto) id totum à materia dependet, cum omne agens naturale, qua agens, necessarium sit. Cæterum cum contingens sit, quod esse & non esse potest, entia omnia præter Deum, planè contingentia existimanda sunt.

5 POtentia est intrinsecus gradus Entitati rei, qua possibiles res, & ex natura sua defectibilis. In rebus uero, sicut non est dari potentiam obiectiuam distinctam à potentia actiua uel passiua; ita neque obedientialem, distinctam ab entitate naturali. Gradus uero potentialis cuiuscunque accidentis desumitur à subiecto, quod est receptiuum talis accidentis: unde fit ut potentia, per quam dicitur esse compositum accidens, non sit potentia distincta realiter à potentia substantiæ.

6 ENs, quod subiectum Metaphysicæ statuitur, habet principia, & passiones, si non essendi, saltem cognoscendi; tam respectu sui, quam suarum passionum. Sunt autem passiones huius tres, conuertibiles cum ipso, unum uidelicet, uerum, & bonum; quarum ratio formalis non consistit in negatione, unum siquidem, ueram entis connexionem; uerum, rei ad principia conformitatem; Bonum uero, respectum ad actum amoris & complacentiæ, ipsi enti superaddunt. [illegible] autem unum prædicamentale, non nisi ratione distinctum à transcendenti.

7 INter modorum Entis uarietatem primum locum ob[illegible] existentia, quæ licet nobilitate superetur ab essentia, ab ea tamen non nisi ratione distinguitur. Ratio uero suppositi consistit in [illegible]tia, non realiter distincta ab ipsa natura. In compositis uero physicis, quod quid erat esse, ex sententia peripateticorum, non ex m[illegible]eria & forma, sed ex sola forma desumendum est.

8 PRincipium indiuiduationis, in compositis ex materia & forma, utraque pars censenda est, principaliter tamen ipsa forma: Partes uero hæ seipsis indiuiduantur, sicut & entia spiritualia, ip[illegible]mq; accidens, cuius essentiam non ingreditur actualis inhærentia, sed aptitudinalis, non distincta realiter ab ipso accidente, uel existenti[illegible] eiusdem. Sic autem comparata sunt accidentia solo numero differentia, ut plura in eodem subiecto adæquatè simul esse nequeant, si ta[illegible]n ex subiecto educta sint.

9 DEus, quod obiectum principale est Metaphysicæ, [illegible]ne confirmari potest quod sit, non quidem à Metaphysico, sed à physico, sicut neque cætera abstracta à Metaphysico probantur esse; [illegible] eius natura, ut actus sit purus, infinitus, æternus, necessarius simpliciter, immutabilis, independens, intelligens, ens, bonus, unus [illegible]per essentiam, & in uniuersum substantia existens actio.

10 ENtia reliqua abstracta, finitæ sunt entitatis, composi[illegible] ex actu, & potentia, [illegible] non admittat [illegible]. Intelligunt autem hæc, non per suam substantiam formaliter, sed per intellectum compositio, ut materiam, & formam propriè non di[illegible] distinctum; idemq; est de uoluntate iudicium. ctum, ab earum natura & substantia formaliter tantum

EX PHILOSOPHIA NATVRALI.

11 PHYSICVS Corpus naturale quatenus naturale, speculatur; cuius tria sunt principia, (& si non uniuersè) Forma, Priuatio, & Materia, quæ non est mera potentia, sed actu ens, & substantia, incorruptibilis, affecta dimensionibus, realiter à forma, formaliter à priuatione distincta. Forma uero est substantia simplex, consummatioq; alterius, quæ antequam educatur, in materia nihil est: unitur autem materiæ media quantitate, & dispositionibus inductis ab agente.

12 NAtura est principium intrinsecum motus & quietis, quo essentialiter ab artificiatis discrepat. Sunt autem rerum natura constantium quatuor causę, Materia, Forma, Efficiẽs, & Finis; inter quas, exẽplar, tãquã distincta causa à forma, uel efficiente, numerari nõ debet.

13 Motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia; incipiens per ultimum sui non esse, itemq; desinens per primum sui non esse; non distinctus realiter à termino ad quem, à quo unitatem specificam desumit; qui tantum ad tria prædicamenta fieri potest, quantitatem, qualitatem, & ubi; ipse uero ad nullam categoriam per se refertur.

14 PER quamlibet potentiam, infinitum, siue in magnitudine, siue in multitudine fieri repugnat.

15 LOcus est terminus corporis ambientis, immobilis, primus. Vacuum uero est priuatio corporis in termino apto circumscribere; quod, quamuis naturaliter nón sit, etiamsi tamen esset, in eo motus non fieret in instanti.

16 TEmpus est mensuta motus, secundum prius & posterius, ratione tantum à motu distinctũ; in quo non est assignare nunc actu, indiuisibile, continuans partes eius. Vnum autem est tempus omnium, mensurans omnes motus particulares, tametsi particularia tempora, non aliter ac motus, multiplicentur.

17 QVia omne quod mouetur, ab alio mouetur, necessarium [illegible] & motum aliquo modo simul esse. In grauibus autem, & leuibus, cum de potentia accidentali mouentur, mouens non est generans, sed ipsæ formæ. Proiectorum uero mouens, non tam aer, quam uirtus impressa censeri debet.

18 VT falso motus & mundi æternitas, à priscis Philosophis demonstrata est, ita utriusque rei possibilitas non rectè defenditur. Repugnat autem non modo corruptibilibus & corporeis ab æterno esse, sed (uno Deo excepto) incorruptibilibus etiam & à materia abiunctis substantijs. Rerum uero creatio productio est ex nihilo, quæ lumine naturali dignosci potest, sicq; Dei propriè externa operatio esse conuincitur, ut nulli creaturæ per se communicari queat.

EX LIBRIS DE COELO.

19 COelum, quæ quinta essentia dicitur, substantia est incorruptibilis & ingenerabilis, neque grauis, neque leuis, figuræ circularis, propriè non habens positionum differentias. Mouetur autem perpetuo, & æquabili motu, ab intelligentia assistente.

20 MOtus Cœli, circularis est, perfectissimus, non habens propriè contrarium: habet autem terram medium, circa quod continenter conuertitur; unde non est necessarium alios motus in cœlis collocari, quam eos, qui circa terram fiunt.

21 CEssante motu superiorum, omnes planè inferiorum motus cessare necesse est; cum inter hunc nostratem & cœlestem mundum tanta sit connexio, ut illo motu & lumine non agente, nulla queat in hoc fieri mutatio.

22 AD perpetuam generationem corruptibilium rerum efficiendam necessarij fuerunt plures orbes, qui diuersis motibus cierentur; qui cum reliquis entibus unum perfectumq; mundum constituunt, pręter quem alios dari posse, diuinæ potentiæ negandum non est.

EX LIB. DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

23 GEneratio est mutatio totius in totum, nullo remanente sensibili, cuius terminus est compositum, formaliter tantum à partibus simul iunctis distinctum; quamuis autem unius corruptio, alterius sit generatio, in corruptione tamen non est necessarium resolutionem fieri ad materiam primam.

24 ALteratio est verè motus continuus, qui tantum fit ad tertiam speciem qualitatis, in qua uera datur intensio & remissio, non per maiorem in subiecto radicationem, sed per nouam additionem graduum, uel partium gradualium ex materia eductorum.

25 AVgmentatio non est aggeneratio, sed motus continuus, eodem manente subiecto, factus secundum omnes partes aucti, cuius terminus est maior quantitas. Actio uero est eductio formæ ex materia, ui agentis naturalis operantis per qualitatem sibi inditam, dependens essentialiter ab ipso agente, quæ tamen in patiente subiectatur.

26 NOn est inconueniens, à proportione minoris inæqualitatis, dari actionem; sicut neque absurdum censeri debet, secundum eandem partem & contrarietatem, quantumuis agens potentius sit passo, dari reactionem.

27 CVm in natura, uera substantialisq; mixtio detur, non est dicendum, in mixtis potentia remanere elementa, sed actu, licet refracto; cum elementum sit, ex quo in existente fit aliquid primò, indiuisibili secundum speciem, cuius species quatuor sunt inuicem omnes transmutabiles; quamuis facilius, quæ symbolas habent qualitates.

28 EX quo necesse est quatuor [illegible], quarum recte Arist. duas actiuas, caliditatem nempe & frigiditatem, reliquas uero passiuas nominat; tametsi omnes actiuæ sint. Vnumquodque autem elementum duas ad minus sibi postulat qualitates, quas in summo habere probabile est.

29 GRauitas & leuitas, quamuis ad eas, quæ primæ qualitates esse dicuntur, sequi uideantur; conuenientius tamen defenditur, eas immediate sequi formas elementorum. Differunt autem specie, sicut & ipsa elementa quibus insunt.

30 ELementa ex natura sua nullam planè figuram sibi postulant. Aer uero, cum mediam mundi regionem obtineat, non magis grauis in ea est, quam leuis. Aqua uero & terra, & si ex natura sua distincta sint elementa, unum tamen globum efficere, experientia compertum est.

EX LIBRIS DE ANIMA.

31 ANima, quam in uniuersum ad philosophiam naturalem pertinere uolumus, actus corporis organici, potentia uitam habentis. Vnitur autem materiæ mediis multis formis elementorum & mixtorum; Est[illegible] in quolibet uiuente una tantum, quæ multarum, si opus est, uicem gerit.

32 ANima rationalis, quæ est uerè forma informans, non modo secundum Aristotelem, sed etiam secundum lumen naturale est immortalis, immediateq; à Deo producitur, eodem instanti temporis, quo corpori unitur; totaque totum informans, & tota quamlibet partem, & multiplicatur secundum numerum indiuiduorum.

33 EAdem à corpore separata, tametsi & intelligat, aliasq; functiones naturales exerceat, id tamen minus exactè exequitur, quam cum in corpore est; ad cuius reunionem, propensionem habet, quamuis naturæ uiribus eam [illegible] non posse certum sit.

34 TRia sunt animarum genera; earum uero potentiæ quinque; quarum ratio form[illegible] licet alia sit à ratione formali animæ, non ob id tamen potentias realiter ab anima distinctas ponere opus est.

35 ANima [illegible] corporis organici, dispositi organis, medi[illegible] hoc, ut possit exercere nutritionem, augmentationem, & generationem. Inter partes uero corporis sentientis præcipua est cor, [illegible] cæteræ omnes uim agendi suscipiunt.

36 POtentiæ sensitiuæ non sunt merè passiuæ, sed actiuę suarum operationum; unde n[illegible]cessarius non est sensus agens à possibili distinctus, qui sensationem producat; neque item species intentionalis, mediante qua fiat sensatio[illegible]um sola sensus, obiecti, mediiq; bene dispositi proportio, sufficiat. Cum autem exteriorum sensuum nullus percipiat suam operationem, ne[illegible]cessarium est dari sensum communem, operationes eorum percipientem, qui in instrumento immediato, in primo cerebri uentriculo agat, tametsi omnẽ agẽdi uim trahat à corde, auctore Arist.

37 VIsus nobilissimus sensuum, naturæ est aqueæ, cuius principalis pars est humor cristallinus: obiectum uero quid innominatum, commune lumini & colori. Fit autem uisio in pupilla, tanquam in proprio & immediato instrumento.

38 ORganum auditus est aer animatus, inclusus intra membranam & concauitatem foraminis cæci; cuius obiectum est sonus, generatus per collisionem duorum corporum adinuicem. Sensorium autem tactus non est neruus aut caro, sed totum corpus; ita tamen, ut quæ partes excedunt complexione innata in frigore, illamq; non emendant per influxam, tactum non habeant. Fit autem contactus durorum corporum semper aliquo medio externo; secus in alijs.

39 REcte faciunt qui uolunt, intellectum possibilem aliquid esse in genere entis, potentiamq; animæ, non realiter distinctam, tum ab ipsa anima, tum à uoluntate, simulq; intellectum agentem memoriamq; intellectiuam, distinctas potentias ab intellectu possibili, non dari.

40 INtellectio, quæ formaliter nec actio est, nec passio, est forma quędam absoluta, distincta realiter ab ipso intellectu. Obiectum uero intellectus non est tãtum uniuersale, sed etiam singulare. Ex his quod primo omniũ ipsi cognoscendum obijcitur, est singulare maximè sensatũ.

EX LOGICA.

41 LOgica, quæ obiectum habet ens rationis directiuum operationum animi, non est scientia, neq; speculatiua neq; practica, sed potius facultas quædam & instrumentum, ad alias scientias simpliciter necessaria.

42 VNiuersale est natura quædam abstracta per intellectum, apta inesse multis, distincta tantum ratione ab ijs, à quibus abstracta est. Hanc uero, quamuis uniuocè genus & species participent, illud tamen omnino multas species [illegible]asq; actu, hæc uero non necessario multitudinem indiuiduorum postulat.

43 DIfferentia, propriũ, & accidens sunt prædicata quędã seiuncta per operationẽ intellectus, (quã formalẽ appellãt) ab ijs, quibus attribuũtur: dicitur autem differentia quidem, in quale essentialiter; Accidens uero, in quale accidentaliter; Proprium autem, conuertibiliter.

44 DEcem sunt Categorię, quarum principem locum obtinet substantia, cuius summum genus est substantia finita, perfecta, quæ dicitur de corruptibili, & incorruptibili, tametsi Philosophus summum genus corpus corruptibile statuerit; Substantia uero, ijs accidentibus, tempore, cognitione, &c. dicenda est prior, quę à subiecto separari possunt.

45 QVantitatis ratio uniuoca est continuæ & discretę; cuius species non sunt plures, quam linea, superficies, corpus & numerus; reliquas enim Arist. ut uulgares in prædicamentis complexus est. Qualitas uero secundum quam quales esse dicimur accidentaliter, quatuor species complectitur: proprium autem huius Categoriæ est suscipere intensionem & remissionem, & habere contraria.

46 EOrum uero, quæ ad aliquid sunt, summum genus est relatio in abstracto, quę formaliter tantum distinguitur à fundamento, & in quatuor duntaxat generibus reperitur, quantitate, qualitate, actione, & passione.

47 SVbiectum librorum analyticorum demonstratio est, quatenus instrumentum perfectum sciendi, definitionem in se comprehendens. Librorum uero priorum, est syllogismus uniuersè acceptus, qui solus est consequentia formalis, de cuius essentia est ipsa conclusio.

48 DVæ sunt præcognitiones scientiarum, an est, & quid est, quæ duo de tribus præcognitis subiecto, passione, & principijs pręcognosci debent. Tres uero sunt species demonstrationis, Potissima, Propter quid, & Quia, quarum prima, ex causis, ueris, immediatis, notioribus, prioribus nobis, & natura constare debet; quam nullus alius per se dicendi modus ingreditur, pręter primum & secundum; Inter duas uero postremas regressus fit, nullo uerò pacto inter potissimam & quamcunque aliam.

49 SCientia est habitus rerum uerarum & ęternarum per demonstrationem acquisitus: quę licet ab opinione seiungatur, cum illa tamen in eodem intellectu, eademq; de re, nonnumquam potest esse.

50 DEfinitio quatenus alter sciendi modus est, non est in prima operatione mentis, sed in secunda; qua ratione reuocatur ad demonstrationem, quę propterea est definitione nobilior: medium autem in demonstratione simpliciter semper est definitio subiecti.

Defendentur publicè in Collegio Germanico, die 27 mensis Augusti hora 18 Anno M. D. LXX.
Ad laudem & gloriam Dei O. M. ac Beatissimæ Virginis.

A. 1570.

103